Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1797
Quelle:
Copyright:

aliquo postea obliteratum. Opus ceterum jam *Vol.* I. P. 3. *col.* 2505. et alias hoc *Vol.* retuli una cum *Adparatu* seu *Glossa*, qua etiam in praesenti Exemplo gaudet. Nec sub finem alphabetica in omnes IV. Libros Tabula deest. Fuit olim Bibliothecae Episcopatus *Neostadiensis*.

DCCXLVI.

R. 3040 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 321. f. luculente et pulcre perscriptus, coloribus illustratus, *anno*que 1426. *donatus*, ut praefertur, *Monasterio sancte Dorothee vienne ab Ordinario in Scola Juristarum Magistro Caspar*o (de Meiselstein) aliud est praecedentis *Summae* Exemplar Glossa Textum passim ambiente, et ad calcem Tabula alphabetica instructum. Ante Tabulam minio: *Johannes de Columbaria* (Colmaria) *dictus Hebesche scripsit summam istam. Sit nomen domini benedictum. Amen.* Quid vero pensi receperit, notavit Possessor *fol. ult.* vacuo ita: *Pro pergameno. et Scriptori. dedi in ista Summa. VIIII. libras. et VII. solidos. Sine illuminatura. ligatura. et correctura.*

DCCXLVII.

R. 3114 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 222. 4. optime scriptus et servatus, coloribus illustratus, ejusdemque olim *Monasterii* eandem *Summam* exhibet, Autoris nomine sub initium et finem sola prima litera R. expresso, cui in fine additur: *de mio*, quod, ne quem moretur, contractum est pro *Matrimonio*.

DCCXLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 68 XIV. Folior. 343. 8. per duas columnas manu difficiliore exaratus, rubricis insignitus, et quondam *congregationis monachorum sancte Justine de padua deputatus Monasterio sanctorum Seuerini et Sosij de Neapoli* praetextis quibusdam fragmentis aliquot *Sermonum* de B. V. *Maria* continet S. *Raymundi de Peniafort* O. P. qui jussu *Gregorii* IX. compilavit V. *Decretalium* Libros, et annum 1275. supremum vitae habuit, *Summam de Poenitentia et Matrimonio* IV. Libris distinctam, cujus initium est: *Incipit summa de casibus compilata a fratre remondo. Quoniam ut ait iberonimus secunda post naufragium tabula est culpam simpliciter confiteri* &c. Comitatur *Raymundi* textum in marginibus Glossa, quae in edit. *Rom.* 1603. f. quae mihi objacet, *Johanni de Friburgo* ejusdem Ord. nobis Germanis satis noto aperte tribuitur, reclamante postmodum *Jac. Quetifo* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 109. f. huic turpi, ut vocat, errato, Glossamque hanc *Guilelmo Rhedonensi* alteri Sodali suo solide vindicante, cui et *Codex* noster adstipulatur; ad calcem enim Operis post hanc clausulam: *Explicit summa Magistri Raymun-*